



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 53. Homagium a novo Britanniaë Duce Regi præstitum

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV. Urbe capta in varias partes dimittebantur copiae, aliae Monferrandum cingebant, cujus Præfectus Gallorum manibus se dedit, inde cum ad oppidum S. Fidei processissent, Chalesius sub iisdem pactis urbem subegit.

## §. LII.

*Ærarii exactor ob infidelitatem multatus.*

Deficientibus eo tempore stipendiis, milites apud Regem conquesti sunt; cujus jussu Joannes Xainconius supremus regii ærarii Præfectus, ejusque vicarius Joannes Chartierus nomine, carceri mancipantur, malæ administrationis, & Regiæ pecuniæ in rem suam versæ convicti. Castigandos esse omni legum rigore visum est ceteris, Rex vero clementiam severitati præferens, solum eorum bona fisco addici, & Xainconio sexaginta millium aureorum, qui militibus in stipendium cederent, multam imponi voluit, quæ summa nullatenus ingentem a se ablatorum, ac corraforum vim proprio oris sui testimonio æquabat.

## §. LIII.

*Homagium a novo Britannicæ Ducis Regi præstitum.*

Ultima Octobris die in profesto Sanctorum  
rum

rum omnium Orvallis Albretii Comitis **Secul. XV:**  
 tertius Filius cum pluribus aliis Vasates **A.C.1450.**  
 venit, & cum quadringentis, aut ferme  
 quingentis suorum in Burdegalensem a-  
 gram excurrans, ad ipsam Urbem Bur-  
 degalas militem admovit, inde popula-  
 bundus in Medulos irrupturus. Jamque  
 altera die hanc Insulam ingredi parabat,  
 cum ecce! eidem nuntiat, Anglorum  
 & Burdegalensium novem millia in aciem  
 procedere, ac contra Gallos arma verte-  
 re. Orvallis accepto nuntio copias suas  
 in aciem instruxit, ac intrepidi animi  
 robore hostis sui occursum expectavit.  
 Jam manus conferunt, & Galli licet nu-  
 mero longe inferiores, tanto tamen fer-  
 vore dimicant, ut desideratis hostium  
 suorum circiter mille octingentis, mille  
 ducentos captos abducerent. Hæc vi-  
 ctoria præsentis anni postrema fuit, hye-  
 me propemodum imminente, ac milite  
 post tot belli labores quietem exoptante.  
 Ad finem hujus anni die tertia Novem-  
 bris Petrus novus Britanniae Dux clien-  
 tis fidem Regi professus est, non quidem  
 ex severiori formula, sed more suis  
 Prædecessoribus usitato; Nihilominus ob  
 Montfortiensem Comitatum strictius clien-  
 telare munus profiteri haud dubitabat,  
 id est, sese obstringebat, ad Regis nutum  
 fidem, & omne obsequium erga omnes,

Sæcul. XV. & contra omnes præstiturum sub poena  
A. C. 1450. feloniam, ac proscriptionis bonorum.

## §. LIV.

*Henrici Bavarie Ducis obitus.*

*Trith. Chro.*  
*Spanhem.*  
*ann. 1445.*

**H**oc anno Henricus Bavarie Dux, cognomento *Dives*, Friderici Landshutani Filius obiit, suoque Filio Ludovico totam hæreditatem reliquit, qui quamvis sub duro, ac illiberali Patre usque ad annum ætatis trigesimum multam perpeffus penuriam etiam rerum, quæ statui suo maximopere necessariæ erant, obsequio tamen & pietate erga eum summis laudibus celebratur. Suadentibus quondam inimicis suis (\*) ut relicto Patre clam in Austriam ad Albertum Ducem avunculum suum abiret, respondit, auctorem vitæ suæ nequaquam se deseriturum, nec quoad mentis compos foret, unquam offensurum. Minore tamen prudentia ac sapientia usus esse videtur, ubi pacem cum Marchione Brandeburgensi ea conditione inierat, ut Marchio Duci Bavaro traderet quædam edicta contra ipsum ab Imperatore lata, ille ut ea accepit, publico in conspectu omnium dilaceravit. Ex eo autem Imperator gravissime offensus, Ducem læsæ Majestatis

---

(\*) Legendum putamus, *amicis*.